



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Concilium Aurelianense quintum jus illud confirmavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

rius futurum videbatur. Adde quòd ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesie agris, ut factum à Clodoveo testatur synodus Aurelianensis prima canone quinto, & concedendis immunitatibus, exigebat istam ab Episcopis grati animi significacionem.

Neque dissimulanda est potior, ut mihi videtur, ratio, tum apud Reges, ut illud beneficium per canonum interpretationem exposcerent, tum apud Episcopos, ut illud sponte largirentur. Adhibitis quippe in Regum consilia & regni cum reliquis proceribus administrationem Episcopis, juxta monitum quod Remigius Episcopus dederat Clodoveo Regi, æquum erat ut invito & repugnante Principe non assumerentur ad eam dignitatem aut incogniti aut suspecti, sed potius qui essent illi & vitæ meritis, prudentia, ac fide undecunque probati; præcipuè cum ex ministerio sibi commissò magnam in populos sibi subditos auctoritatem consequantur.

V. Aurelianensè Concilium quintum habitum anno quingentesimo quadragesimo nono hanc Regibus auctoritatem tribuit canone decimo, ut in eligendo Episcopo, post cleri ac populi decretum, eorum voluntas expectaretur: *Vt nulli episcopatum premiis aut comparatione liceat adipisci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum provincialibus Pontifex consecratur.* Confirmatum hoc canone jus istud dici potest potius quam institutum; si fides adhibenda narrationi Fortunati Pictaviensis & Gregorij Turonensis, qui Reges Francorum hac potestate usos disertè testantur ante annum quingentesimum quadragesimum nonum. Ille quidem in vita sancti Medardi anno DXX. Peractis, inquit, non sine multo fletu Episcopi sui exequiis, Regis & optimatum assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Veromandensis & omnes ejusdem provincie adjacentes Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari. Gregorius verò in vita patrum cap. XVI. de Nicetio, ait à Rege Theodorico accersitum anno DXXVI. ut Trevericæ urbis Episcopus ordinaretur. Dato autem consensu populi, & decreto Regis, inquit, ad ordinandum adducebatur.

VI. Si quis inquirere velit penitius an ipsi Reges auctores fuerint hujusce consuetudinis, aut eam aliunde hauserint, dici potest Romanorum Principum exempla præcessisse: qui quidem non passim & in omnibus Ecclesiis, sed in Constantinopolitana præcipuè, aliisque insignioribus aliquando, ad vitandam

tumultuum occasionem, electionum summam ad se revocarunt. Quod autem sit aliquando, & ob causas speciales, trahi non debet in consequentiam, nec vim legis aut juris quæ sit obtinere. Eo consilio, varias in partes distractis Episcoporum studiis, Theodosius senior, ut tranquillitati Ecclesie Constantinopolitanæ consuleret, quam perturbaverant Gregorij & Maximi ordinationes, Nectarium elegit, ita tamen ut synodi Constantinopolitanæ & plebis consensus statim accederet; teste Sozomeno lib. VII. cap. VIII. & Socrate lib. V. cap. VII. Eandem ob causam *ὁ δὲ τῶν κεισοπεδιστῶν* (ut loquitur Socrates lib. VII. cap. XXI.) post Sisinnij obitum, Nestorium ex Antiochia à se accitum Theodosius secundus, malis licet auspiciis, ad sedem Constantinopolitanam evexit. Idem quoque Princeps, post obitum Maximiani Constantinopolitani, antequam corpus illius sepultura daretur, mandavit Episcopis presentibus ut Proclum constituerent; *Ἐθρονισαὶ τῶν Πρωκλῶν ἐπέστρεψαν*, inquit Socrates lib. VII. cap. XXXIX. Sed facti hujus rationem subjungit, ne rursus de electione, ut nuper acciderat, seditiones excitatæ Ecclesiam illam concuterent: *ἵνα μὴ πάλιν αἰεὶ ὀπιλοῦντο ἑπισκοπίας ἕκαστοι ἢ, καὶ παραχρῆ τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσονται.*

VII. Religiosus se gessit Arcadius Imperator: qui per Nectarij obitum vacanti Ecclesie Constantinopolitanæ cum clerus ac populus Ioannem Chrysostomum, licet ab ea extraneum, utpote Antiochiæ Presbyterum, præfici postularer, eorum desideriis consensit, teste Sozomeno: *Ἐπισημαμένη δὲ τὸ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς κληρῶν καὶ βασιλεὺς συνήκει, καὶ τῶν ἀξιωτάτων αὐτῶν πέποιθε.* Cum populus ac clerus hoc censerent, Imperator consensit, misique qui cum adducerent. Vbi est manifestum regij assensus exempli dati post electionem cleri ac populi.

VIII. Aliquando autem conjungebantur duo illi actus, & eodem tempore desiderium Principis & Ecclesie ad electionem agendam concurrebat. Cujus quidem consensionis mutæ duo supersunt exempla clarissima. Primi testimonium locuples habetur inter epistolas Hormisdæ Papæ; ad quem Epiphanius Constantinopolitanus scribit de electione sua anno quingentesimo vigesimo his verbis: *Post obitum Ioannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesie catholice regie urbis Deus mihi conferre dignatus est, sententia & electione Christianissimi & justissimi Principis nostri Iustini & piissima Regina, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiūque eorum, his quibus bona est conversatio, & qui regis honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & monachorum, & fidelissima plebis consensus accessit.*

Alterum exemplum suppeditat epistola

Remig. in epist. ad Clodoveum: Sacerdotibus tuis honorem debet deferre, & ad eorum consilia semper recurrere.

Vide supra lib. II. cap. 22.